

## † R. P. Sebastianus Waldner (1865-1938)

*(Vice-Prov. de Karlsbad)*<sup>1</sup>

Dominica 6 Nov. 1938 in valetudinario loci Rumburg post brevem infirmitatem supremum diem pie obiit, munitus morientium sacramentis, R. P. Waldner e domo vicina Philippsdorf. Huc proinde mortuum corpus translatum est et d. 9 eiusdem mensis tumulatum, praesentibus fere 20 sacerdotibus magnaque moerentium multitudine. « Patris Waldner nomen in dioecesi cum veneratione pronuntiatur », dixit, audita eius morte, loci Ordinarius, Excēnus Episcopus Litomericensis Antonius Weber, statimque pro defuncto Missae sacrificium Deo obtulit. Etiam coronarum florumque

copia ad sepulchrum deposita ac magnus numerus Missarum pro animae quiete a fidelibus postularum clare demonstravit, quam recte huic humili religioso, nunquam in altioris dignitatis gradu collocato, illud Horatianum applicetur: *Multis ille bonis flebilis occidit.*

Sebastianus Waldner erat Tyrolensis genuinus, et origine et caractere, natus in loco *Partschins* prope Meranum (quae Tyroliae pars inde a magno bello sub Italica dictione est) d. 28 Iul. 1865 parentibus optimis. Simon pater ex conducto possidebat cauponam telonii. Matrem Annam Thalgueter, piissimam 14 liberorum genitricem, Sebastianus filius ipse in missionibus haud semel aliis matribus exemplar proposuit.

Erat iam iuvenis 22 annorum et ultimum (octavum) annum studiorum gymnasialium nondum absolverat, cum petivit admissionem ad familiam nostram. Eius petitioni P. Provincialis Andreas Hamerle primum morem gerere noluit, ratione aetatis candidati; sed orare perseveranti dari solet petitem.

Tirocinii tempore Fr. Waldner morte amisit dulcissimam matrem, et ex illo tempore is, qui antea fuerat iocosus hilarisque « Wastl » (Sebastianellus), subito evasit, et per totam quidem vitam, homo valde serius ac risui alienus. Vota d. 17 Sept. 1888 nuncupavit, et d. 6 Aug. 1891 sacerdotio initiatus est.

<sup>1</sup> Ita appellatur nova Vice-Provincia, immediate Rectori Maiori subiecta, efformata e septem domibus Germanicis Provinciae Pragensis, quae nunc omnes extra fines Cechoslovachiae reperiuntur.

Per aliquod tempus P. Waldner in iuvenatu Katzelsdorf docuit linguam Graecam et historiam. In universum adscriptus fuit duodecim collegiis variis, et in undecim dioecibus, zelo flagrans, laboravit.

A. 1921, cum tria collegia Provinciae Vindobonensis in Bohemia et Moravia sita a Rñno P. Generali in nova Vice-Provincia Zwittaviensi suum esse iuridicum recepissent<sup>1</sup>, P. Waldner, tum Zwittaviae consistens, pro hac Vice-Provincia «optavit». Nihilominus mense Augusto 1922, oboedientiae voci sueta promptitudine obsecundans, per aliquod tempus ad confratres Cechos collegii Budějovice seu Budweis se contulit, Germanis urbis operam suam spiritualem daturus.

Praedicavit, et egregie, circa 150 missiones ac renovationes. Cum vero paulatim valetudo parum firma ei hunc apostolatam amplius non permetteret, eo diligentius domi sese dedit apostolatui confessionalis; nec soli laici, sed sacerdotes quoque hunc confessarium patientem ac pium magni faciebant. Poenitentes autem aegrotantes senesve in eorum habitatione invisere P. Waldner nunquam renuebat.

Ut Patris legiferi exemplum sequeretur, etiam bonis libris populo prodesse satagebat. Ipsius quidem non erat prorsus nova investigare, sed metalla a doctioribus iam effossa libenter in nummos nummulosque curantes convertebat. Iam ante bellum vulgarat librum quemdam de relatione S. Clementis ad SS. Eucharistiam: *Der hl. Klemens M. Hofbauer im Zeichen der Eucharistie*; intra bellum autem et annis proxime insequentibus (1915-1921) haud minus quam 18 alios libros edidit, quorum tituli videri possunt in nostra Bibliographia, tom. II e III. Usque ad a. 1923 haec 19 opera et opusecula prodierant insimul 32 variis editionibus et 175 000 exemplaribus<sup>2</sup>.

Neque sola sua scripta propagare P. Waldner cordi habuit, sed alia quoque, modo essent bona, popularia parvique emenda. Hunc in finem centrum quoddam propagationis (*Lektürestelle*) a. 1915 in Eggenburg fundavit, a. 1918 in Zwittau, a. 1921 in Philippsdorf. Haec tria centra usque ad mensem Augustum 1923 ingentem copiam 410 200 bonorum librorum aut libellorum, fere gratuito, distribuerunt, praesertim inter milites<sup>3</sup>.

Post a. 1921 apostolatus calami Patris Waldner multa repperit obstacula, ita ut solum duos tresve alios libros publici iuris fecerit. Sed hac quoque occasione se more boni religiosi gessit. Sic brevi ante mortem (25 Oct. 1938), cum cuidam confratri amico nuntiasset, suum de Sanctuario Philippsdorf manuscriptum a censoribus reprobatum esse, haec ad-

<sup>1</sup> Cfr. *Catalogus* a. 1922, p. 202 sqq.

<sup>2</sup> Alias de hac re notitias habes penes A. SCHWARZ, *Das Kloster in Eggenburg* (ib. 1927), p. 190-194.

<sup>3</sup> L. c. pag. 190.

didit: « Meum nunc est, ad tempus, vel etiam semper, humili oboedientia me subiicere, quin sciam, quid de hoc aliisque manuscriptis futurum sit; quamvis insit multorum annorum labor ».

Quoniam *ex abundantia cordis os loquitur* (Luc. 6, 45), P. Waldner in recreatione identidem de suis consiliis litterariis et scriptis adhuc edendis loquebatur. Invaluerat mos ut praesentes tunc, in (fictae) admirationis signum, e sedibus surgerent; quod « homagium » ipse subridens excipiebat.

P. Waldner erat homo « originalis », qui vocatur; sed hanc eius « originalitatem » hic latius exponere quid interest? Potius alia quaedam de eius virtutibus addamus. A parentibus, similiter ac S. Clemens, hereditate pretiosa acceperat « mirum fidei robur », et hanc fidem exercitare, defendere, propagare satagebat, persuasum sibi habens in sola fide catholica mundi salutem positam esse.

Notabatur in eo singularis amor puritatis, et sancto odio prosequabatur quidquid in verbis, scriptis, artis operibus, vestitu muliebri... lascivum erat et procax, memor moniti Apostoli: *Quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta... haec cogitate* (Phil. 4, 8). Praeses Congregationis Marianae sponsarum castitatem apprime curabat.

Dictis absentium vitam rodere prorsus nolens, vituperantibus aut aperte contradicebat aut laudabilia opponebat aut alio sermonem divertebat aut tacebat; adeo induerat *viscera misericordiae, benignitatem* (Col. 3, 12).

Si quod donum edule acceperat, nunquam omittebat cum Superioris venia aegrotantibus confratribus partem dare, et iam diximus, quam promptus fuerit ad visitandos aegrotos.

Paulo ante obitum (17 Sept. 1938) aureum professionis iubilaeum celebrare potuit et in manus Pl. R. P. Visitoris Aug. Reimann vota renovare. Videbatur adhuc sat bene valere, ita ut P. Visitor inter prandium iocose eum proponeret exemplar sanitatis et patientiae ac diligentiae. Verum Iesus iam stabat ante ostium fidei vero mercedem daturus.

Quae *merces* (ita iure optimo sperare licet) fuit *multa in caelo* (Luc. 6, 23); quandoquidem bonus P. Waldner per dimidium saeculum cum observantia in Alfonsiana familia vixit, multum oravit, multum pro Domino laboravit, multa quoque pertulit, sic faciens *fructum in patientia* (Luc. 8, 15).

Est et alia ratio huius spei. In medio enim bello atrocissimo P. Waldner ad Perpetui Succursus Matrem oculos hominum convertit libro suo Mariano *Maria immer hilf!* quo certas litanias Germanicae linguae fidelibus valde familiares et in se pulcherrimas explanavit. Hunc cultum salutarem etiam aliis mediis pro viribus propagavit; sic eius opera etiam in Sanctuario Philippsdorfiensi huius sacrae Iconis exemplar fidele sollemniter

expositum est et inde 70 000 parvarum imaginum cum illis litanis inter populum diffusa sunt. A. 1930 edidit alteram editionem dicti libri multum adauctam (p. 258 in 8°), in qua etiam prodigiosae Iconis historiam enarravit; in proemio autem scribit: « Hic liber fuit estque meus liber praedilectus », et claudit verbis biblicis, ab ipsa Ecclesia Deiparae adaptatis: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt*<sup>1</sup>.